IMAGO MILITIÆ AVSPICIIS AMBROSII SPINOLÆ BELGICARVM COPIARVM DVCTORIS STATARIA ACIE ADVMBRATA.

Industria & opera ALBERTI STRVZZI, *suarum Celsitud. domestici Nobilis coacta & concinnata.*

Cui adiutricem manum adiunxit
IOANNES VANDER ELST
Machinarum bellicarum Director.

BRVXELLÆ,
Ex Officina Rutgeri Velpii & Huberti Antonij Typog. Iur. anno 1614.

MAGNANIMO
PHILIPPO
HISPANIARVM
PRINCIPI,
EXERCITVS IMAGINEM L. D.

Laudabilem Philippi III. potentißimi Hispaniarum Regis Parentis tui, Princeps generosißime voluntatem extollam? an potius tuam felicitatem demirer, totiusq́ Hispaniæ gloriæ applaudam? Quid enim clarißimo suo sanguine dignius, quid tãtæ Soboli salutarius, quid denique orbi Hispano gloriosius tantus Parens machinari potuit? quàm quo simul & optimi Parentis, & optatißimi Magistri partes cumulatißimè expleret? Adeò vt tua Celsitudo hac re Magno verè Alexandro longè beatior censeatur; qui quòd a Patre esse, ab Aristotele, bene esse haberet, hoc inferior fuit, quòd tu utrumque ab vno consecutus videare. Hispaniæ verò vniuersæ cur non plurimum gratuler, quæ iustius paulò sibi plausum facit de fæcundo Regum suorum genio, quàm de Philonis ingenio Athenæ. Nos porro Philippi III. Parentis tui laudandis in patriam ac rempublicam studijs velificati, militandi disciplinam in vmbratili exercitu desculpsimus, quam plenis confidentiæ velis tuæ Serenitati dedicatum imus: rati, id, qualecunque est, paulò amplius oblectamenti tuæ Celsitudini allaturum, quàm aut spectatori Xerxi decertantes gallinacei, aut Alexandro Seuero Romanorum Imperatori perdicum & Catulorum pugnæ. Ipsa Martis proles a rebus gestis Magni nomen sortita, si ab inferis rediuiua sisteretur, abiecta Achillis cythara spectaculi tanti tecum corriualis esse contenderet. Melius siquidem a Principe horas collocatum iri, in hoc visendo

exercitu

exercitu comprobaret; quam si cum Scipione Africano conchas legeret, vel cum Europo suæ Macedoniæ Rege lucernas fabricaret, vel denique cum Parthorum Regibus cuspides acueret. Philippi igitur Parentis Regis nostri Clementissimi sublimes cogitationes, Generosissime Princeps; Ambrosij Spinolæ militaris artis portiunculam; Nostram denique industriam, & operam tuæ Celsitudini consecramus. Quæ vt propitijs oculis, atque animo complectare, fiduciam facit gentilitia vestra Humanitas, cum qua tuam Celsitud. diutissimè in terris incolumem tandem propitius Deus sempiternæ gloriæ transcribat.

Albertus Struzzius.

SI quis vnquam domesticis rerum præclarè gerendarũ exemplis abundauit, eorũ tanta Hispaniarum Principi copia suppetit, vt si Ferdinandos, Carolos, Philippos intueri lubet, vbique maximus laudi & gloriæ campus apertus esse videatur. Quæ tametsi magna sint, si cum laudatissimis Philippi III. potentissimi Regis in Principem Filium suum studijs componantur, quanto illis se ceteris Principibus maiorem, tanto his beatiorem mirabitur. Nam vt excelsos animos, rerum a maioribus fortiter gestarum memoria magnis virtutum stimulis exacuat, plurimum sane interest, quibus illæ simulachris expressæ posterorum oculis obiectæ sint. Qua in re, &-si præclaram sibi laudem merito suo vendicent, qui ingenij sui monumentis magnorum Principum laudes complexi fuerunt; quo illorum heroica facinora posteritati cum quadam voluptate commendarent. Eius tamen gloriæ primas generosissimæ Philippi III. meditationi, optimus quisque rerum æstimator facilè assignabit. Etenim cui vnquam Regum vel Imperatorum id in mentem venisse poterat, vt quarum alij vix artium effigiem calamo vel penicillo assequi potuerunt; harum ipse non vmbram quandam, sed vitam propè ipsam consectaretur. Adeo id verum, vt quam vix extremis lineamentis disciplinam militarem in historijs, picturis, peristromatis adumbratam legimus, nunc integram, viuam, & prope diuinam preclaro regij ingenij facinore excogitatam contueri liceat, vt martium verius gymnasium, quàm militiæ imaginem: animam potius exercitus, quàm eius simulacrum nominare lubeat.

Tametsi verò ea non exigua censeatur laus in potentissimo

ſimo Rege; nullo otio diffluere, quod ea veriſſima Regum & rerump. peſtis:

Ocium enim & Reges prius & beatas
Perdidit vrbes.

Maior tamen gloriæ facta eſt acceſſio ex præclaræ machinationis nobilitate. Etenim induſtriam ſuam aliquantulum melius collocauit fortiſſimus Rex, quàm magnus ille Ageſilaus, quem quis ſine indignatione cũ filio in arundine obequitantem colluſtret? Enimuerò cùm Hiſpaniæ inuictiſſimi Reges maximorum regnorum Domini, idcirco ſe imperare exiſtiment, vt ſalutaribus legibus ac inſtitutis rempublicam conſeruent, Eccleſiæ Romanæ Catholicam fidem præ cæteris conſtantiſſimè propugnent: quis laudatiſſimam Regis optimi voluntatem non magnopere collaudet; qui armorum tractandorum filium non minus quàm regnorum hæredem exoptet? quippe cùm tanti imperij moles, velut nauis à decumanis imperitę multitudinis fluctibus nonnunquam quatiatur, neceſſe eſt armorum virtute ac prudentia non ſecus ac clauo & anchoris fulciatur. Quare verè regium eſt, hanc mentem in ſumma potentia obtinere, quæ & militum glorioſos animos meritis beneficijs inflammet, militarem petulantiam, & ignauorum deſidiam iuſtis legibus coërceat. Ex quibus ferè regnorum ſalus, Eccleſiæ pax, atque omnes triumphi promanant. Quę cùm omnia in vna militaris rei ſcientia poſitaſint; dubium ſane eſt; an magis regia humanitas, vel ſapientia laudanda ſit, qui memor illius:

Princeps ſapiens ſapientum commercio

omnem bene erudiendi Principis ſui curam, bellorum optimo profeſſori, Ambroſio Spinolæ demandarit. Hic porro cùm Belgicis copijs aupicijs Maieſtatis ſuę, ſumma cum laude & auctoritate præfuerit, eam facilè bellandi experientiam adeptus fuit; vt ei cum illo apud Liuium milites ſic affari liceat:

Facta non dicta mea vos milites ſequi volo.

Optimus igitur belli conſultor, Regijs mandatis parens quo

quo Principis animum ſuopte genio in militaria ſtudia ſatis propenſum, magis incitaret, armatum exercitum ita dedolari ex ligno curauit, veſtibuſque atque armis decoris ornari, vt ſi artificium ſpectetur, nihil propius in tam exigua mole ad naturam ipſam accedere videatur: ſi veſtes quas ſingulæ nationes, quæ Maieſtati ſuæ militant, diſtinctas habent; ſi arma, gladios, thoraces ferreos, haſtas, galeas, vultus ipſos intueamur, prius naturam ab arte ſuperatam, quàm hanc ipſi æmulam fuiſſe putemus. Qua in re plurimum enituit Alberti Strucij domeſtici nobilis Sereniſ. Principum, induſtria, in cuius ædibus Bruxellis, omnis hic exercitus natus & inſtructus. Adiunxit huic adiutricem manum Ioannes vander Elſt, machinarum bellicarum ſuæ Maieſtatis director.

Imaginarius hic exercitus diuiſus more majorum in equitatum & peditatum, quorum virtute bella ferè confici ſolent. Pedites de conſilio Pyrrhi & C. Marij ſeptenos propè pedes exequant, ſeruata pedis minoris cum vniuerſo corpore proportione: quæ vbique in omnibus huius commenti machinis ratio ad amuſſim inita, eam inter ſtatarium militem ac impedimenta, intercapedinem fecit; vt nec ordines planè interluceant, & tamen arma ſic expediri poſſint, vt nullo turbato ordine, omnia etiam minutiſſima, in orbem gyrari poſſint.

Quod verò ad equitatum attinet: equuli adeò affabrè ex ligno cælati, ijs picti coloribus, vt Lyſippi ſcalpellum, aut Apellis penicillum non magnopere deſiderent; Seſſores verò ita ab armis, veſte, ocreis, calcaribus inſtructi, vt nihil pænè vitæ ipſi concedant.

Tormentorũ omne genus, ex ære ſolido fuſum; adeò apta proportione cũ plauſtris ſuis cohæret; adeo omni neceſſario ad flãmam tereti tubo concipiendã, apparatu pollet, vt & ſtragem editura ſint, ſi quis è propinquo ignẽ admoueat.

Iumenta vectaria vehendis bellicis machinis ex ligno appoſita, quæ cum agitatoribus ſuis ad viuum expreſſa.

Inſtrumentum omne nauticum, & pontes, tranſportandis copijs, in locis præſertim paluſtribus, aut à fluminibus

irriguis, necessarij, sic fabrefacti; vt siue peditem, siue equitem transuectare oporteat, eius omnino copia ad manum haberi possit.

Multum præterea belli gerendi apparatum: instrumenta & machinas, quæ vel subruendis vrbium muris, vel cuniculis subterraneis agendis multum præsidij afferre solent, à plaustrarijs equis subuectantur.

Annonam autem frumentariam, & quæ ad sustentandum exercitum suppetant, tabernas meritorias, vt in more positum est, curribus abunde subuehunt annonarij.

Papiliones, reliqui instrumenti laudes facile exæquant, quippe tam ingeniosè tensis velis ad verisimilitudinem exporrecti, tam splendide ornati, tam venustè in fronte regia insignia præferunt, vt ars nulla in parte etiam hic claudicare voluisse videatur. Præ cæteris verò rapit oculos magnificum tabernaculum rei diuinæ sacrum. Cuius vsus hoc longe laudatior, quod Eusebio teste, Constantinum, primum auctorem habuerit. Accedunt alia non inferiora Custodibus & nobilibus stipatoribus assignata. Conditoria ad hæc muralium tormentorum, adeo vt nec culinaria supellex, cum suo foco ad verum delineata desit.

Nunc ad ordinem transeamus, in quo prudentissimi Duces non minus fiduciæ, quàm in militum robore semper habuerunt. Triplicem omnino vmbraticus hic exercitus sortitur aciem, prima frontem efficit, inde media robur militiæ continet: tertia denique tergum facit. Castrorum præfecti & metatores suis locis obequitant. Item tesserarij & fiduciariã ijs operã nauantes; suis quoque classibus singuli Duces & antesignani præpositi. Vexillarij militaria signa, regijs notis insignita, vel erecta manibus ventilant, vel humeris sustinent supina. Sic porro singulis ordinibus prospectum, vt nec peditatui tympanistæ, nec tubicines equitatui inflammando desiderari possint.

Equitatus in turmas distributus cornua totius agminis facit, vt simul peditui & machinis æneis præsidio sit: quæ vna

vna cum cæteris impedimentis extremas totius exercitus alas concludunt.

Inter impedimenta variarum nationum, sexus & cultu dispari homines, lixæ calones: tum etiam infirmi, membris trunci, & mutulati, multiplici affectu spectantur.

Plaustra commeatum omnem subuehentia; vtrumque agminis latus certis ordinibus stipant.

Sarcinales item Principis muli cum actuarijs suis, & omni necessario instrumento acu pictis eiusdem Ducis insignibus impedimentis miscentur.

Iam verò si benè dixit Florus; tāti esse exercitum, quanti eius Imperatorem: vnius hic statarius exercitus, penes quem imperium Serenis. Alberti Archiducis Austriæ, & Belgicarum Prouinciarum fœlicissimi Principis effigiem repræsentat. Cuius laudes eximiæ, verborum lenocinio nihil indigæ, domestico judicio sese facilè sustentant. Paludamentum, arma, phaleræ, ephippia, fræna auro gemmisq; decora. Equus & reliquus ornatus ita vitam spirant; vt verò vix dissimilia videantur. Paruo spatij interuallo præequitant tubicines argenteis è collo tubis pendulis. Item satellitium vnà cum prætextatis Principum asseclis. Ponè sequuntur Ephebi honorarij: & qui à consilijs Principi haberi assolent: cum honoratiori satellite agmen claudit vigiliarum Præfectus.

Reliquorum Ducum; quorum ductu & consilijs maximè res geritur, preter inferioris ordinis primipilos, hi potissimū adnumerandi, Marchio Ambrosius Spinola, omnium copiarum ductor & castrorum Præfectus Generalis: D. Ludouicus de Velasquo equitum magisterio insignis: Comes de Buquoy, summus armentarij Tribunus. Quos singulos ita dextrè cum suo quemque comitatu & paludamentis ars conata fuit perpolire, vt etiam stilo hæc subticente facilè quiuis, qui vel nomine tenus hos duces norit, quo quisque eorum ordine, quo loco, qua militari pompâ incedat, perspecturus sit. Perinde suis in locis collocati

 minoris

minoris dignitatis Pręfecti, vt Cognitor Generalis, quem Auditorem nominant rerum capitalium Præfectus, metatores, mensores, & istiusmodi alij

Hactenus ferè ea proposita, quę statariam aciem comitantur: nunc ea leuiter delibanda, quæ in castris locatis, maximo in vsu esse solent, quales officinæ & tabernæ, quo in genere id sua laude non carebit; tot diuersarum recularum merces venales in imaginarijs his castris proponi, quarum ne vna quidem in iustam proportionem peccet. Potissimum autem hæ tabernæ visendę: Gladiorum vna & mucronum; altera armorum varietate quà pediti, qua equiti necessariorum Spectabilis: Tum vna varijs vtensilium rerum mercibus instructa. Adde denique Tonstrinam, Pistrinam, Pharmocopolium.

Eodem admirationis intuitu dignandæ meritoriæ annonariorum tabernæ, distinctæ picturarum vel insignium tabellis, præ foribus affixis. mensis subinde militariter instructis.

Nunc denique vasis conclamatis oculos omnes curiosissimé in regiam arcem defigamus, quam velut corollariũ in quoddam bene culto exercitu, pari industria, ingenio & proportione excogitatam videre licet. Arx ipsa sex fastigiatis propugnaculis, fortissimisque loricis é ligno fabrefactis munita in eadem arce præter fossas & munimenta vnà cum æde sacra, alijsque, Præfecti domus curiosè admodum elaborata conspicitur.

Adiecta pugna imaginaria, quæque in vera obsidione, tum propugnatoribus, tũ impugnantibus vsui, summa diligentia adiuncta, vt tormentorum æneorum concussiones. Ex plumbo fusilia peditum agmina, sclopis achastis præpilatis arrectis castrorum valla ac munitiones prætergressa in arcem regiam impressionem simulant.

Iucundissimum sane Principibus spectaculum, in quo certiora momenta habet exercitatio, quàm in picturis aut nudis præliorum ornamentis. In orbem pugnare cuneos instru-

inſtruere , quadratis vel orbiculatis agminibus incedere, ita militiæ conferunt ; vt eorum exercitatio in milite ſit laudanda , in Principe verò maximum ornamentum , qua ſola Alexander ille vere magnus , vnum orbi vniuerſo ſolem inducere conatus eſt, quibus etiam præſidiis Pater eius Philippus ignobile Macedoniæ regnum ad ſummum militaris gloriæ faſtigium prouexit. Quod vt magnanimus Hiſpaniarum Princeps aliquando aſſequatur, non illi cum Tiberio Claudio Fucinus lacus vacillanti pede obeundus, vt Tyrones ſanguinariis tyronicys aſſuefaciat. Oculo dumtaxat curioſiori ſubinde dignandus hic fuerit exercitus ; quem iis ordinibus qui iucũdiſſimi ſimul & optimi, ea virtute & conſtantia quæ ſumma , eo denique cultu armorum ac veſtium , ſine quibus plerumque victoria deſperatur, inſtructum colluſtrabit ; vt veram hanc militaris diſciplinæ ſcholam non minus lubenter, quàm vtiliter complectatur. Etenim cùm ſingula accuratè perpendentur ; facile apparebit, quantarum impenſarum ſit exercitus eos alere , quibus victoria comparari poſſit. Quæ non leuiter animo ante bella expenſa nobile ſane prudentię ſpecimen præſeferunt certoſque triumphos parturiunt. Vix enim viriliter pugnatur , vbi mendicus miles ſimul cum hoſtibus & egeſtate confligit, & armatam mendicitatem fere ad omne flagitium exſtimulant deſperatio , magna peccandi licentia , denique ſeditionum ac diſcordiarum flabella.

Quare ne neglecta diſciplina , imperium ſimul dilabatur, neruis quodammodo vincienda , quos vel martis calculo feliciſſimus Imperator Iulius Ceſar non minus in auro quàm armis eſſe contendit.

Duo, inquit, eſſe quæ Principatus comparent, ſeruent, augeant: milites pecuniam.

Sed parum ſanus videri poſſit, qui Principibus liberaliſſimis hæc tacitè probare conetur. Si quis verò Caſtellano nomini ita parum æquus, & maleuolè metas aliquas regiæ munificentiæ confingat , an hic magni veri & totius Bel-

gicæ conſcientiam abolebit? Immortales illos ſanguinis Auſtriaci heroas nulla vnquam ornamenta Maieſtatis faſtigio digniora iudicaſſe quàm maximas, Carolinas, Philippinas illas coronas.

Ob ciues ſeruatos.

Votis finiendum ô æternum numen adſpira. Vt magnanimus Princeps Hiſpaniarum regnorum & bellorum hæres, fingente manu Dei euadat.

Vtrumq; & rector bonus & bonus induperator;
Sinu patriam, ciues, libertatem, imperium foueat, fortitudine in hoſtes admirabili, domi concordia adamantina.

Annue æterna ſapientia.